INTELLIGENTIA

QVARVMDAM LITTERARVM

S. Congregationis Cardinalium, negotijs Episcoporum, & Regularium præpositæ, cuidam Visitatori Ordinis Minimorum in partibus Hispaniæ transmissarum.

PER

R. P. PATREM F. ANTONIVM XIMENEZ Supremi Senatus Regij S. Generalis Inquisitionis Censorem, Prouinciæ Hispalensis eiusdem Ordinis Artium & Teologiæ emeritum Lectorem, & Deffinitorem, ac insignis Cœnobij S. Mariæ de Consolatione de Vtrera Correctorem.

1. *SAcra Congregatio Cardinalium negotijs Regulariū præposita, iustis, & rationabilibus causis adducta: ac præsertim, quod Capitulum Generale Fratrum Ordinis Minimorum, de proximo celebrari debet. 2. Censuit iniungere, prout iniungit P. Petrosæ in Prouincias Hispaniarum à P. Generali eiusdē Ordinis in Vicarium, & Visitatorem Generalem transmissū, vt statim atque præsens decretum, sibi intimatum fuerit à visitatione, omni postposita mora desistat. 3. Absque eo quod exinde, se iustificet, vel aliquid adducat in contrarium. 4. Et in Italiam vna cum suis Collegis reuertatur, litteras patentales quascunque per ipsum vigore facultatum sibi à Prædicto P. Generali attributarum pro Superioribus, vel alijs officialibus expeditas, resumat, & secum deferat. 5. Prouinciales, Correctores, & alios Superiores, quorum facultates quomodolibet suspenderit, reuocauerit, vel limitauerit, in pristinum statum reponat; atque in omnibus, & per omnia reintegret, atque restituat: ita vt eorum officia libere, vt anteà exercere*

possint, & valeant. 6. Fratres grauiores, quos sine legitima causa de vno ad alium Conuentum forsam transtulerit, ad eosdem Conuentus remittat, in quibus eos repererat de familia signatos: 7. Informationes, & processus, quos vsque in præsentem diem contra quoscumque confecerit, seu assumpserit, vna cum sententijs ab ipso promulgatis secum afferat, & in manibus Secretarij eiusdem S. Congregationis relinquat: vt quid super eis faciendum sit, consultius decerni possit. Nec de recurrentibus ad ipsum, aliquem post hac absoluat, seu condemnet. 8. Quinimo, si quos carceribus mancipatos detinet, statim excarcerari faciat, dummodo delicta, de quibus reperiuntur inquisiti, non sint probata, vel de grauioribus, in quibus pœna corporis afflictiua veniat imponenda. 9. Prædictaque omnia, & singula sedulò adimpleat, & exequatur; aliàs seuerum ipsius S. Congregationis iudicium experietur. Romæ xxv. die Maij M.DC.XL. F. Antonius Cardinalis S. Honufrij, locus † sigili.

Quæ sequuntur desiderantur in exemplari P. Visitatori intimato.

Lelius Archiepiscopus Thebarum Secretarius. In nomine Domini Amen. Supradictum decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium concordat cum suo proprio originali mihi ostẽso, & ostensori restituto, salua semper, &c. In quorum fidem datum hac die 31. Maij 1640. Ita est, Alexius Chrysostomus Curiæ causarum Apostolicus Notarius. Nos Octauianus Raggnis Prot. Apostolicus D. N. Papæ Refer. necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, vniuersis fidem facimus, & attestamur supradictum D. Alexium Chrysostomum de præmissis rogatum esse verum publicum, & authenticum legalem scripturis, quibus suis tam publicis, quàm priuatis plenam adhiberi fidem. In quorum omnium & datum hac die vltima Maij 1640. Antonius Rainaldus Notarius.

PRÆFATIO.

INusitata forma harum litterarum statim nos prouocat ad iudicandum illas esse surreptitias, obreptitiasque, & nullius valoris. Etenim stylus Rom. Curiæ est, maximè, quando non apponũtur censuræ, nec graues aliquæ pœnæ, quòd expediantur litteræ ad in-

instantiam partis, & quòd præsententur ante Illustrissimum Dominum Auditorem Cameræ Apost. vt mandato, & censuris compellat ad illarum obseruantiam, vel saltem remittat Illustrissimo Sāctitatis Nuntio, vt eas exequi mandet. Videtur tantum esse simplex responsio quęstioni appositæ, vt innuunt illa verba: Sacra Congregatio, &c. censuit, & vt §.2. dicemus potest habere hòc decretum rationem ordinationis; non præcepti.

2 Item ex eis sequitur contra ordinationem S. Concilij Tridentini, quòd decernit primam instantiam ordinariorum Prælatorum indemnem seruandam, visitationemquè ordinariam debere fieri. Et ideò Supremi Senatus Regij iustitiæ D. Ioannes Baptista de la Rea Fiscalis, ex officio petijt & assequtus est Regalem Prouisionem, vt præfatæ litteræ, processusquè virtute illarum facti recolligantur, ne detur ansa scandalis. Et vt examinatis, qualiter nociuæ sint, supplicetur S. Congregationi, & fiat certior illas non proficuas, sed nociuas bonæ obseruantiæ, imò & contrarias legibus Regni, decretoquè Sacræ Maiestatis, qui visitationem libere fieri indulsit.

3 Præterea, si deliquisset P. Visitator in obeundo munere visitationis, deberet fieri recursus ad ipsum Reuerendissimum Generalē, vt suum reformaret visitatorem; deinde ad Eminentissimum Cardinalem Protectorem nostrum, ac postmodum ad Eminentissimos S. Congregationis Cardinales, secus verò factum fieri per saltum videtur.

4 Denique quamuis posset P. Petrosa sine inobediētiæ labe supplicare (imò & deberet, si aduerteret quanta inde possent oriri scandala) vt §.3. dicemus; quia tamen obtemperauit decreto S. Congregationis, & à visitatione destitit, & abijt; videndum est, quid valoris habeant litteræ, & ad quid se extendant; maximè post executionem decreti, quam fecit die 17. Iulij anni 1640. cum eiusdē mensis 3. intimatum illi fuisset in oppido Almodobar del Campo, reuertenti Matritum.

§. I.

Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita, iustis & rationabilibus causis adducta: ac præsertim, quod Capitu-

tulum Generale Fratrum Ordinis Minimorum de proximo celebrari debet.

5 Hic ponitur actio se congregandi Eminentissimos D.D. & motiua inipulsiua dicuntur aliquæ iustæ causæ ad aliqua negotia terminanda. Sed illarum præcipua fuit instantia celebrandi de proximo Capitulum Generale Ordinis Minimorum. Et ideò pro sequenti decreto non veniunt assignandæ aliç causę, nisi illę quę conducunt ad celebrationem libere, & expeditè faciendã: has subintelligimus, quę confingi potuerunt, vt & §. sequenti dicemus. Cęterum, quia motiuum falsum fuit, siquidem annus integer transire opportet, vsque ad celebrationem; iterum infero surreptitias litteras, vtpote falso innixas fundamento, de quo infrà redibit sermo.

§. II.

Censuit iniungere prout iniungit P. Petrosæ in Prouincias Hispaniarum à P. Generali eiusdem Ordinis in Vicarium, & Visitatorem transmissam: vt statim, atque præsens decretum sibi intimatũ fuerit à visitatione, omni postposita mora desistat.

6 Duç actiones memorantur in hac clausula; altera ex parte Cõgregationis, ex parte Visitatoris altera: ex parte Congregationis est, *iniungerè prout iniungit.* Non est hęc actio commissionalis tantum, seu ordinatiua de aliquo faciendo, quòd poterat dicere aliquis iuxta vocis significationem à Lexicone Ecclesiastico traditam: dicit enim quod *iniungere* est idem ac, *imponer, ò encargar:* Hoc inquam non est dicendum: nam si esset directiua tantùm, non minaretur pœnam seueri iudicij. Dicendum ergo est esse pręceptiuam, & talem adducit explicationem Ambrosius Calepinus: *Impono, demando, prӕcipio.* Itaque pręceptum est, quòd obligat ei cui dirigitur pręceptum, seu decretum (si illud est iustum) Patri scilicèt Petrosę Visitatori. Materia huius actionis est altera actio interpretatiua ex parte Visitatoris *desistere, scilicèt à visitatione.* De cętero post intimationem decreti (si decretum aliquid valet) non debet, nec potest inquirere, nec visitare amplius: 7. Vndè ex vi huius prohibitionis non tollitur, nisi exercitium visitationis. At cum ipse sit transmissus à P. Generali, non tantum vt visitator, sed etiam vt Vicarius Generalis, non tollitur, quin exerceat munus Vicarij Generalis, tum in

se-

ſedendo, tum in ordinando, atque gratias concedendo, &c. quandiu in Italiam non reuertatur, quia ea non ſunt viſitare, aut inquirere, quod tantum vigore huius Conſtitutionis interdicitur.

8 Ad euidentiam autem huius veritatis ſciendum eſt in noſtro Ordine Minimorum Generali concedi facultatem ex Correctorio cap. 10. non ſolum Vicarios pro emergentibus ad cuncta ſibi ſubiecta loca, ſicut & Prouincialis ad ſua, ſed etiam Ordinarium: *Praedictus etiam Generalis* (ait prætereà) *poterit quoties expedierit ad quaſcunque voluerit Prouincias: cum ſua omnimoda poteſtate delegare aliquem Fratrem idoneum ſuæ poteſtatis plenitudinem habentem, etiam ſuper cunctos huius Ordinis Vigiles & Prouinciales.* Quod & conſuetudine ſeruatum eſt, & nouiſsime anno 1626. contra Prouincialem Neapolitanū decreuit liberè poſſe generalem quoties expedierit ad Prouincias ſui Ordinis Vicarios mittere Generales, etiam ſi ipſe in eo Regno diuerſetur. Hanc adducit P. Laur. de Peirinis tom. 1. Priuil. Conſtit. 14. in Leone X. §. 2. num. 4.

9 Rurſus ex Regula noſtra cap. 10. num. 46. *Licitè poterit ipſe Generalis Corrector ſuper omnes prædictos vigiles tranſmittere oculatos viſitatores: qui taliter in lucernis ardētibus fratrum ſuorum iniquitates viſitent, & emendēt in vera iuſtitia, &c.* Quod & Leo X. anno 1516. Motuprop. licèt aliàs & Gregor. XIII. anno 1576. corroborarunt contra Prouinciales Hiſpaniæ, qui quandoquè reſiſtebant Viſitatoribus à Generali miſsis, & ſub excommunicatione & alijs pœnis inhibuit talem oppoſitionem Viſitatoribus: imò Greg. XIII. ſub eiſdē pœnis iubet fauere & aſsiſtere Viſitatoribus. Ergo licèt ex voluntate Generalis ſæpè iungat in eodem ſubiecto munus Viſitatoris, & Vicarij Generalis, ea tamen ſunt diuerſa officia quod optime probat P. Peirinis loco citato in Leone X.

10 Laurentius enim de Peirinis §. 2. num. 3. mouet queſtionē: *Num ex vi huius Conſtitutionis concedentis facultatem Generalibus tranſmittendi Vicarios Generales*, & reſpōdet, quòd non. *Et tamen* (ait de Viſitatoris poteſtate) *ad effectum viſitationis faciendæ, non ad effectum reſidendi cum ordinaria poteſtate, quæ ſunt omnino diuerſa. Aliud eſt enim conſtituere Vicarium Generalē Ordinarium, qui vices Generalis gerat tempore pacis & belli (vt ita di-*

Viſitatores poſſit mittere

dicam) & aliud est constituere Visitatorem, qui Prouincias visitādo plenariam tantum pro illo tempore ordinariam habeat authoritatem, & à diuersis non fit illatio, cap. ad audientiam, de decim. Ergo in hoc decreto vbi P. Petrosę, qui simul erat Visitator, & Vicarius Generalis vbi interdicitur visitatio, non prohibetur authoritas Vicarij Generalis, sed manet integra, & plenaria ad ea omnia, quę non se opposuerint visitationi prohibitę, quod & pro dicendis sit pręmissum.

11 Imò eo quod interdicatur exercitium visitandi, non tollitur authoritas Visitatoris sicut si Pręlatus interdiceret cuidam Sacerdoti audire confessiones, tollit exercitium, non tamen potestatem. Quod & teneri potest ea probabilitate, qua P. Thom. Sanchez tom. 1. de matrim. lib. 3. disput. 51. num. 22. defendit suspensum ab officio, non esse suspēsum à beneficio, nisi expresse id declaretur. Probat multis textibus iuris, & quia constitutio pœnalis extendenda nō est ad casum non expressum. Satis enim est illam intelligi, intra suam latitudinem: cum odia restringi, fauores conueniat ampliari Reg. Odia de reg. iur. in 6.

§. III.

Absque eo quod ex inde se iustificet, vel aliquid adducat in contrarium.

12 Dubitari potest: An hęc clausula significet non obstantiam: & sit idem ac dicere: Non obstante quacumque allegatione, qua iustifices tuam visitationem, modumquè procedendi, vel aliquid adducas in cōtrarium, desistas à visitatione, vel exclusiua, vt faciat sensum. Pręcipimus, vt desistas à visitatione, nisi tua acta iustificare possis, aut opponere aliquid contra id, quod nos mouit, vt pręciperemus. Si contra hoc habes aliquid rationabile audiemus te.

Dico non posse sustineri in primo sensu: quia esset apertè contra tenorem eiusdem rescripti, & contra ius. Contra tenorem, quia §. 6. Fratres grauiores quos sine legitima causa mutauerit, iubet reducere, q. d. Si causa mutationis adfuit, ne reducas, & §. 8. carceri mācipatos excarcerare iubet, nisi delicta sint probata, aut de grauioribus, &c. Ergo si sint probata & grauia, quod iubeo est, vt detineas in carcere. Sic enim de iure dicitur: ***Exceptio regulæ firmat oppositū.***

No

Nó es este mandamiento sin replica, sino mandamiento con Audiencia, es vna citatoria, ò auocatoria sin conocimiento de causa, quam & cognoscere intendit S. Congreg. quando §. 7. processus adducere iubet ad Secretarium eius.

13 Quod foret contra ius si prohiberet non adduci, si adesset aliquid in contrarium, extat expressus casus in decretalibus, cap. si quādo, de rescriptis, vbi cum quidam habens plura beneficia impetraret à Papa contra Episcopum Rauenatem super beneficio obtinēdo in eius Ecclesia, Tacito de beneficijs suis, & Archiepiscopus de hoc multūmiratus rescripsit Papæ: & Papa respondit hoc modo: *Si quando* (inquit) *aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animū tuū exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatē negotij, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum*, vbi Gloss. *Quandoquè enim per nimiam importunitatem petentium Princeps, non concedenda concedit.* Sic in nostro casu intelligendum est de sacra, rectissima, & iustissima Congregatione Cardinalium, quò à hoc rescriptum nolit obseruari, si rationabilis causa opponatur.

14 Credendum ergo est virtute fauorum quos adduxerunt oratores, percitos fuisse Eminentissimos D. D. ad Congregationē faciendam, quia expositum illis fuit de proximo celebrandum Capitulum Generale. Hoc fuit illis praua insinuatione suggestum; nā expeditio litterarum pręcessit integro anno celebrationem Capituli à die 25. Maij 1640. vsque ad 19. Maij anni sequentis 1641. quæ erit dies Pentecostes, de iure nostro celebrationi Capituli dicata. Ergo si non crederent celebrationem Capituli de proximo, non festinarent adduci ad Congregationem.

15 Rursus crediderim huic rationi proximè celebrationis Capituli Generalis, vt honestarent petitionem dixisse cautum esse in Capitulo Generali nostri Ordinis Massiliæ primo celebrato anno 1611. *Visitatores* (aiunt PP.) *non admittantur, nisi præcedat petitio maioris partis Prouintiæ: & nullo pacto tempore electionū; nisi*

post

nisi post festum S. Michaelis, vel post Pascha Resurrectionis Domini. Finis huius statuti est ne proximo tempore electionum, quæ fieri solent mense Septembri quotannis Correctorum, & quolibet triennio Prouincialiũ liberè fierent, nec deponerētur aliqui causa lucrandi suffragia; & à simili ratione hoc debere fieri tempore celebrationis Capituli Generalis, ne causa lucrandi vota priuarētur Prouinciales, & Commissi. Hac ratione fortè praue insinuarunt, Tacito de beneficio, & Eminentissimi Domini crediderunt prohibitionem hanc, iuri disonam, conformem esse nostris legibus, nimirum tempore proximo electionum cessandum à Visitationibus.

16 Si indicarent hoc fuisse cautum cōtra inquietos Religiosos, qui disciplinam Regularem fugiunt, & petunt tempore electionum Visitatores, vt suos deponant Prælatos, disponantquè suffragia pro futuris electionibus, & quod inibi statuitur quod tales petentes visitationem carceribus mancipentur, donec fiat inquisitio de eorum vita & zelo. Et ad tollendas fraudes prohibentur visitationes circũ circa electiones. Hoc quidem prauè suggestum, quia capitulum loquitur de emergentibus visitationibus; non de Ordinarijs, qualis est, quam præ manibus habemus, non ad instantiam partis, sed ex debito officij. Et has prohibere, seu impedire nefas est, vt, & prænotauimus contra constitutiones Pontificum Leonis X & Gregor. XIII. suprà num. 8. & 9. Hi se opposuerunt visitatoribus & coram Rege, & coram Congregatione. Et dolentes possumus illis dicere illud Ieremiæ 2. *A sæculo fregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiã.* Iugum S. Regulæ quà cauetur Visitatores mitti ad iniquitates visitandas, & emendandas in vera iustitia, ad iuncta misericordia, & vincula constitutionum Apostolicarum per censuras, & alias pœnas, de hoc satis. Parce. Si ergo statutum extenderetur ad visitationes ordinarias, & sicut ibi sex mensibus anteà prohiberetur visitatio, non posset Generalis tempore sexennij totam visitare Religionem, & tribus annis ex sex medijs confectis manerent ociosi, nec visitarent. Quid absurdius?

17 Ergo interpretari debemus litteras S. Congregationis iuxta rescriptum Summi Pontif. si litteræ hæ exasperauerunt animũ tuũ, ne turberis. Diligenter considera qualitatem negotij: & sic, aut reue-

nerenter ad impleas, quod præcipimus, aut per literas tuas, quare ad implere non posis, rationabilem causam asigna. Quia nolumus nos, quòd adimpleas, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum, & concessum per nimiam importunitatem petentiũ. Hæc est, & debet esse mens S. Congregationis in hac clausula: *Absque eo quod ex inde se iustificet*, & Audientiam admittit, & iustificationem Visitatoris, alias præfatas litteras falsas crederemus iuxta id, quod resoluit noster Laurentius de Peirinis tom. 1. Priuilegio. in Constit. 4. Sixti IIII. §. 2. num. 7. *Aduerte etiã* (ait) *quod rescriptum prohibens causæ cognitionem, est de falsitate suspectum. Vndè Commissarius potest suspendere.* Habetur in cap. 2. de rescriptis, & docet Felinus num. 15. Ergo aut dicendum has litteras esse falsitate suspectas, si prohibeat audientiam, aut iustificationem procedendi in visitatione velle dari à Visitatore. Qui & poterat respondere, & rationabili de causa non desistere à visitatione.

§. IIII.

Et in Italiam vna cum suis Collegis reuertatur, litteras patẽtales quascunque per ipsum vigore facultatum, sibi à prædicto P. Generali attributarum pro superioribus, & alijs officialibus expeditas, resumat, & secum deferat.

18 Pater Petrosa obediuit decreto, nec supplicauit, vt poterat, abijt in Italiam cum Collegis, & difiniuit quòd Congregatio ordinauit. Vigore huius clausulæ iuxta dicta §. 2. nomine litterarum patentalium veniunt intelligendæ illæ solum quibus cõstituti sunt visitatores, & collegæ, aut Secretarij ipsorum, quod intelligo nomine officialiũ: quia sublato principali, qualis est Visitator, tolluntur, & accessorij Visitatores ab eo creati: quia exercitium visitationis interdicitur; manet tamen, quandiu per facultatem habentem non tollitur officium, & exercitium Vicarij Generalis, siue in habente solum vices Vicarij Generalis, siue etiam Visitatoris, sublato vno, manere potest, & aliud quia inter se non sunt conexæ, sed diuersæ facultates. Et esset odium extensum, si quid iubetur de vno extenderetur ad aliud. Rursus vigore huius

clausulæ non manent derogatæ litteræ patentales fauorabiles, qui bus constituit Vicarios Correctorum in Conuentibus imperfectis, Lectores, Monialium Confessarios, Sacristas, &c. & litteræ pro ordinandis, & pro Confessoribus, aut Prædicatoribus, quia hæc & alia, quæ non veniunt intelligenda nomine visitandi, non prohibētur, sunt impertinentes ad munus, & exercitiū Visitatoris.

19 In executione decreti dicit P. Visitator: *Recuperauimus etiam litteras omnes patentales à nobis pro Prouincijs Castellæ, ac Hispalis expeditas:* quod eodem modo, ac præceptum & venit intelligi, pro Visitatoribus scilicet, nō pro Vicarijs Generalibus. Qui adhuc habet suas patentes non est expoliatus potestate, nec verificari potest, quod eas abstulerit P. Visitator Generalis. Talis est authoritas Vicarij Generalis P. Paulo Torreño cōcessa cum omnimoda & ordinaria potestate, quàm per patentales accepit litteras pro Hispalensi Prouin. quæ nec phisicè (quia eas in indiuiduo habet) nec moraliter, quia non est data reuocatio, qualis deberet vt sufficienter diceretur ablata potestas, & iurisdictio; imò epistolā accepit; quòd decretum cōgregationis nō intelligebatur de sua patente. Sed de hoc amplius infra, ne immoremur in filo prosequendo intelligentiæ litterarum S. Congregationis.

§. V.

Prouinciales, Correctores, & alios superiores, quorum facultates quomodolibet suspenderit, reuocauerit, vel limitauerit, in pristinum statum reponat: atque in omnibus, & per omnia reintegret, atque restituat. Ita vt eorum officia, liberè, vt anteà, exercere possint & valeant.

20 Actio, quæ iubetur P. Visitatori est restitutio ablatorum, & eius materia nō est omne ablatum, sed illud, quod factum est per *suspensionem, reuocationem, vel limitationem,* nō per cassationē, irritationem, & priuationem. Et ita virtute huius causæ, Prælatus, cuius electio cassata, aut irrita est, non restituitur, quia cùm nulla esset electio, officium non erat electi, nec restituendum. Similiter, qui absolutè priuatus est, creditur, quod pro demeritis, & sic esset

irra-

irrationabile, & contra disciplinam Regularem, non probata iniuria sententię datæ, illam reuocare. Quia de iure est, non procedere, nec iudicare contra inauditam partem. Et quidem ridiculũ esset sentẽtiam serio compilatã, & promulgatam per processus, obiectiones, defensiones, & in re conuicta, sine cognitione causarum restituere ad officia, iustè & legitime ablata.

21 Conuincor ad hanc intelligentiam ex ipso textu: nõ dixit: superiores, quorum officia, sed quorum facultates. Hæ facultates supponunt officia, quorum sunt: restitutio est, vt eorum officia libere, vt anteà exercere valeant. Itaque id quod exercitium impediebat, id restituitur. Superiores suspensi manent, essentialiter Correctores, & superiores in actu signato, non in actu exercito. Reuocare etiam est alicuius facti, vel ordinationis à superiore factæ, quam reuocauerit Visitator, vt non valeret. Nec de reuocatione officij, quę sit priuatio, potest explicari, nam debet participare de extremis terminis, & esse eiusdem generis; antecedens fuit *suspenderit*, subsequens, *limitauerit*: ergo reuocauerit ad eundem trahi debet sensum. Priuatio adimit vitam, suspẽsio, reuocatio, & limitatio supponunt vitam officij, & dicit impedire facultatẽ, vel limitare ad aliquas actiones, nec coarctari, & limitari ad alias: Es tener las manos atadas; y aora manda la Sacra Cõgregacion, que el que las atò, las desate, y dexe, para que libremẽte, como antes vsen sus oficios. 22. Y aun aquel *reuocauerit* ex Regula nostra videtur habere hunc sensum, *reuocati*, id est, *depositi ab officio*. Sic in Correctorio n. 9. de depositione Prælatorũ: suis delictis exigentibus ab *officio suo deponetur, vel suspendetur*. Et ibi cauetur quod loco illorũ ponantur alij, quousque per alios superiores melius deliberetur. Et n. 11. dicitur de sic suspẽsis, ac depositis: *Non maneant subiecti suis substitutis, sed simpliciter remaneant in Conuentibus suæ depositionis*. Ergo signũ est, quod suspensi, reuocati, depositi, ac limitati superiores in facultatibus officiorum suorũ manent essentialiter in officio in actu signato, non in exercito. Et ideò hic possunt reponi; non autem priuati, & quia hi remanserunt subiecti, & emortui. Nec potest clausula,

ſula,quantocunque fauorabilis explicetur extendi de ſuſpenſis, reuocatis aut limitatis ad priuatos,quia eſt longè grauius malum priuatio,quam ſuſpenſio, & alterius generis.

23 Hinc iuſta ratione ductos, credimus,Eminentiſsimos D.D. S.Congregationis. Nam cum ſuſpenſio, reuocatio, & limitatio requirant minora delicta,quam priuatio iubent reponi,quaſi iam purgati ſint per talem punitionem,quod de priuatis dici non poteſt,quia legitimè ſupponuntur conuicti,& per ſententiam puniti diffinitiuam.Et ideò R.P.Viſitator exequēdo ordinem S. Cōgregationis nullum priuatum officio reuocauit,aut reſtituit, quià fuerant legitimè conuicti,ex depoſitis autem quos minoris delicti conſpexit,repoſuit,quos cōuictos,reliquit in ſuā depoſitione.

§. VI.

Fratres grauiores,quos ſine legitima cauſa de vno ad aliū Conuentum forſam tranſtulerit, ad eoſdem Conuentus remittat, in quibus eos repererat de familia ſignatos.

24 Actio,quæ his præcipitur litteris, & fauorabilis, & iuſta: materia eius ſunt,non omnes translati, & mutati, ſed qui grauiores: & hi non omnes,ſed qui coacte, & cum aliquo detrimento mutati ſunt ad alium Conuentum,vt per reductionem recindatur iniuria,ſi quæ interuenit.Et quia præceptum iuſtum eſt,excipit eos, qui legitime mutati ſunt: *Qui ſine legitima cauſa*, hi mutari debent, & reduci ad Conuentum ſuæ primæ localitatis:ergo qui cū cauſa legitima tranſlati ſunt,non gaudent hoc fauore. Legitima cauſa erit,ſi ipſi pro ſua conſolatione petierunt mutari, aut pro eorum commodo mutati ſunt: & ſi eo durante,aut inſtante reduceretur,fieret contra iuſtitiam. In quo caſu, cum ipſe ſolus, qui mutauit ſit iudex,ſi dicat illos mutaſſe cum iuſta cauſa, & legitima,reſultante ex inquiſitione generali, aut iuridica,aut extra iudiciali:quis poterit dicere illi:Quare non reducis inuicte translatū? dicet:Rationabili cauſa mutaui,ad te non ſpectat examinare, nec ad me propalare.

25 Hinc infertur,quòd grauiores, quos repererat eiectos, & inuitos,quos reduxit in viſitatione, non ſunt iterum mutandi: quia:

quiá: *Quod in fauorem institutum est, non debet contra fauorem militare*; & quidē militaret, quia esset reductio nouissima odiosa. Item qui iuridice per sententiam reiecti sunt exules, reduci nō possunt, quia ex iusta, & legitima causa sunt reiecti. Rursus, qui grauiores non sunt, etiam si inuiti translati sint, non sunt ex vi huius decreti reducendi. Et denique propter decreta Clem. VIII. & Constitutiones nostras intra tres menses ante electionem Correctorum, á nemine mutari possunt, nisi ratione scandali publici.

§. VII.

Informationes & processus, quos vsque in præsentem diem cōtra quoscunque confecerit, seu assumpserit, vna cum sententijs ab ipso promulgatis secum afferat, & in manibus Secretarij eiusdē S. Congregationis relinquat: vt quid super eis faciendum sit consultius decerni possit. Nec de recurrentibus ad ipsum aliquē post hac absoluat, seu condemnet.

26 Hoc præceptum actionis adductiuæ informationum, processuum, & sententiarum promulgatarum nō irritat, annullat, aut condemnat acta in visitatione, sed auocat ad pleniorem determinationem: tū vt semiactis processus alia via prosequantur, aut omittantur: tum, vt conclusi & diffiniti, si aliquis appellauerit, deseruiant ad audiendam appellationem, & reclamantem iuridicè.

27 Ly *vsque ad præsentem diem*, intelligitur, non de die in qua expeditæ sunt litteræ, sed in qua intimatæ sunt, quia vsque in diē intimationis legitimè inquisitum est. Post eam (si litteræ habent valorem) non erunt legitimè facti, nec adducēdi. 28. Rursus crediderim, quòd illę causę, quæ ante diem intimationis iam conclusæ erant, poterant de cętero terminari per sententiam diffinitiuam: quia ante pręsentem diem fit mentio de informationibus, & processibus; & posteà dicit, quòd vna cum sententijs secum afferat. Promulgari sententiam, non ęst visitare, sed supponit visitationem iam factam, & prohibitam fieri; nec de promulgatione sententiæ loquitur lex: quare loquemur, & nos, cum aliàs de iure sit causam terminare? Et confirmatur hæc mea intelligentia ex vltimis verbis textus: *Nec de recurrentibus ad ipsum aliquem*

post

post hac absoluat, aut condemnet. Post hac prohibet deuenientibus audire, & definire: ergo de eis qui anteâ venerant, & auditi sunt, & causę conclusæ non prohibetur iudicare; quinimò conceditur, iuxta tritam regulam iuris: *Exceptio regulæ firmat oppositum.*

§. VIII.

Quinimo, si quos carceribus mancipatos detinet, statim excarcerari faciat, dummodo delicta, de quibus reperiuntur requisiti, non sint probata, nec de grauioribus, in quibus pœna corporis afflictiuà veniat imponenda.

29 Hęc actio similiter est explicanda ac de suspensis, & depositis ac limitatis potestatibus, §. 5. Nam si delicta non sunt probata, purgata censentur indicia, & suspicio de delictis per præteritā incarcerationem. At per ly, *dummodo* firmatur oppositum; & confirmat S. Cōgregatio incarcerationes factas post delicta probata vel grauiora, quæ punienda veniunt pœna corporis afflictiua. Et idem dicendum de reclusis in alijs Monasterijs, si propter delicta probata, vel grauiora, facta fuerit reclusio. Et cum clausulā sit fauorabilis, si sine causa probata, aut grauiori delicto reclusi sunt vigore harum litterarum, liberari debent à reclusione, argumento à maiori, quod est carcer, ad minus, quod est reclusio, & quodammodo carcer.

§. IX.

Prædicta omnia, & singula sedulo adimpleat, & exequatur; aliàs seuerum ipsius S. Congregationis iudicium experietur. Romæ die 25. Maij 1640. &c.

30 Hæc omnia & singula ipsi P. Visitatori, & non alij committit, sedulo, & sine mora adimplere. Et non alias pœnas, quam seuerum iudicium minatur. Parece fueron letras dadas por cumplimiento, y bien floxas. Neque enim ponuntur censuræ, priuationes, nec pœnæ pecuniarię, nec signatur iudex, qui vrgere possit executionem: nec ponuntur non obstantiæ. Ex quo iterum infero nullitatem talium litterarum: quia præter Concilium Tridentinum obstat Breue Greg. XIII. quod Apostolica authoritate

sta-

ſtatuit, & decreuit, quòd *Generalis, Corrector Minimorum* (vt & ſuprà §. 2 n. 8. & 9. dicebamus) *poſsit mittere quoſcunque viſitatores, ſibi bene viſos ad quaſcunque Prouincias*, & hæc eſt obligatio Generalis ſemel ſaltem in ſuo Generalatu; quod nō immunis à culpa omitteret. Vndè concludit Pontifex: *Quibuſuis cōſtitutionibus, &c.* Irritat quidquid cōtra impetratū fuerit dicens: *Irritum & inane decernentes, quicquid ſecus à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Hæ litteræ non fuerunt exhibitę ex certa ſcientia, ſed data ſiniſtra, & falſa relatione. Nec eſt credendum Eminentiſsimos Dominos voluiſſe euertere obſeruantiam Regularem; quę quandoquè dilapſa, viſitatione & correctione reformatur.

§. X.

Aliqua corlaria, ex dictis deducuntur.

Primùm quòd in Prouincia Hiſpalenſi P. F. Paulus Torreño, adhuc perſeuerat in officio Vicar. Generalis ordinarij.

31 SEquitur ex dictis §. 2. & 4. & P. Generalem potuiſſe Vicarios Generales tranſmittere, neque reuocatam eſſe patentē P. V. Generalis Torreño per ſuſpenſionem viſitationis, quod & modo amplius perſuadeo. Primò, quia litterę S. Congregationis deſiſtere iubent à viſitatione, nec vltra procedere, ſed Prouinciā Hiſpalenſis iam erat viſitata: ergo non loquuntur de illa, nec de ibi actis pro maiori obſeruantia, & bono regimine, qualis fuit ſubſtitutio Vicarij Generalis à P. Viſitatore: ſolum obligat congregatio, quod proceſſus ibi compilatos, & ſententias ibi pronūtiatas ſecū afferat, &c.

Si obijcias, hoc ita eſſet, ſi authoritas P. Vicarij Generalis Torreño foret immediata à P. Generali; cæterum eſt ſubdelegata vigore facultatum P. Petroſæ conceſſarum, & S. Congregatio facta vigore harum facultatum in dandis litteris patentalibus pro ſuperioribus tollit, quarum altera, eſt facultas Viſitatoris, Vicarij Generalis altera.

32 Reſ-

32 Respondeo iuxta regulam 68. de reg. iur. in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, & sic P. Generalis est, qui constituit Vicarium Generalem Hispalensem. In patentalibus litteris P. Petrosę datis postquam posita sunt aliqua, quę requirunt speciale mandatum, concluditur: *Et Generaliter omnia faciendi, quæ per nos ipsos facere possemus, etiam si nostrum speciale mandatum requirerēt plenariam authoritatē, &c.* Sic eodem prorsus tenore extensa est authoritas P. Vicario Generali Hispalensi: ergo idē valet, ac si Generalis asignaret per se ipsum speciali mandato P. Paulum Torreño Vicariū Generalem, & sicut tunc non tolleretur per clausulam Congregationis, neq; modo tollitur. Vt autē verificetur pluralitas facultatum, sufficit quòd tollantur eæ quę ad visitandum datę sunt, quę possent esse Visitatoris, & Vicarij Generalis simul, & consimilis ei, quam habeat ipse Vicarij & Visitatoris ordinarij.

33 Persuadeo secundò: causa efficiens, influens, & conseruans moraliter authoritatem Vicarij Generalis Hispalēsis solus P. Generalis est; pater autem Petrosa solum fuit causa instrumentalis, seu conditio applicans, nec dependet ab illo in conseruari, & sic perseuerat etiam si Petrosa reddiderit in Italiam, & iā no habeat authoritatē, quia Generalis à quo manat authoritas perseuerat. Pater Petrosa elegit, nam hoc suo arbitrio commissum est, sed Generalis conseruat electum, sicut electores Prælatorum, etiam si desierint esse, perseuerat authoritas electi, quia manet ius, cuius virtute elegerunt; sic manet Vicarius, sublato P. Petrosa, quia manet Generalis, cuius virtute constitutus est Vicarius Generalis ad modum permanentis.

34 Confirmatur primo iuxta ea quæ tradit Thom. Sanch. tom. 3. de matrim. lib. 8. disp. 27. q. 2. n. 30. Etiam si moriatur delegās, & res non sit integra in delegato, quia ea vti cœperat, iurisdictio radicatur in persona delegati, & non perit, quia efficaciter in eū transiuit, colligitur à contrario sensu ex d. c. quamuis, sed P. Vic. Generalis Hispalensis receptus est à P. Prouinciali, & ab omnibus Conuentibus Prouinciæ, exercereque cępit ius suum, ergo etiam

si

si desierit esse subdelegans, perseuerat eius authoritas.

35 Confirmatur secundo ex eodem auth. n. 36. in primo dicē-di modo ex Angelo l. & quia, n. 3. ff. de iurisd. omn. iudic. Cacia-lupo l. morte, n. penul. ff. eod. 1. quod etiā si res sit integra in sub-delegato, etiam si subdelegans à quo immediatè iurisdictionē ac-ceperat obierit, nō expirat potestas in subdelegato, quia superstes est primus ordinarius delegans, qui fons & radix eius iurisdictio-nis est: ergo multo magis impedito exercitio Visitatoris, & in Ita-liam vocati, superstite Generali perseuerat authoritas Vic. Gen. Hispalensis non integræ, sed exercitæ.

36 Confirmatur 3. ex 3. dicendi modo. Quia quando subdele-gatio fuit in totū, delegatus à se totā iurisdictionē abdicat, & om-nes suas committit vices, & tunc nō appellatur ad subdelegantē, sed ad ipsum primū ordinariū, c. super quæstionū §. porro de of-fic. deleg. quia tunc ab ipso solo primo delegante dependet tota iurisdictio. At quando subdelegatio fit in parte, delegatus non ab-dicat à se totam iurisdictionem, & ideò appellatur ad ipsum iuxta d. §. porrò, ex quo infertur, quòd quando P. Petrosa dicit: *Paten-tales litteras omnes recuperauimus*, intelligendus est de patenti-bus limitatis, quę ad ipsum manebant ordinatæ, nōn de hac quæ est amplissima, & ordinariæ potestatis, quę pertinet ad Generalem ipsum, cum quo facit idem Tribunal. Imò iuxta constitutiones nostras in c. Gener. Ian. 4. n. 35. nec ipse Generalis semel datā au-thoritatem ordinariam (qualis est hęc) potest ad libitum tollere sine demeritis. *Volentes igitur* (dicunt PP. loquentes de Vic. Ge-nerali) *vt talis delegatus non sit amouibilis, nisi propter delicta.* Quę quidem hucusque non commisit, nec propterea à P. Petro-sa amoueri potuit.

37 Confirmatur deniq; ex 4. modo ab eodem Thoma appro-bato, & est Iaſ. d. l. morte, n. 13. & Bart. l. 2. ff. de curatore bonis dando: *Quando delegatus* (inquit) *ex speciali potestate, sibi à de-legante tradita subdelegat, non perit potestas subdelegati, mortę subdelegantis re integra, si primus ordinarius delegans superste-s sit, quia ipse est prima radix, & censeatur substituens. Secus*

de delegato subdelegante iure proprio in casu, in quo subdelegare potest: quia tūc nō primus ordinarius, sed ipse delegatus censetur substituere. Hęc ex P. Thom. Sanch. loquēte de rē integra, ergo multo melius in hac rē non integra, in qua habemus litteras has patentales ex speciali potestate data delegato à primo delegante ad vniuersitatē causarū, perseuerat in subdelegato, etiam si subdelegans iam desierit in munere delegantis, & Visitatoris generalis.

38 Persuadeo 3. meā sententiam: authoritas Vicarij Generalis Hispalensis est specialis, & de consensu Collegarū collata, certa & legitima, secundum constitutiones nostras, acceptata à P. Prouinciali, qui dedit illi obedientiam, similiter omnes Prouincię Conuentus, quibus litteræ patentales intimatæ sunt, & est in possessione, & exercitio: sed hucusque à nemine reuocata est: ergo perseuerat in authoritate Vicarij Generalis. In primis enim S. Cōgregatio non abstulit, nam etiam si loqueretur de patētibus Vicariorum Generalium expresse (quod inficiamur) non dicit irritamus, reuocamus, annullamus: sed iubet Petrosę Visitatori, vt illas resumat, & secum deferat: quandiu eas non resumpsit, in suo manebunt vigore. Sicut v.g. si viridarij herus villico diceret eradica malo granatum, quandiu de facto non eradicet, manebit in suo virore, licèt exponatur reprehensioni sibi obijciendæ. Sic nec resumpsit phisicè, nam patentem habet apud se originalē, nec per aliquod expressum mandatum, ergo manet in viridi obseruantia, licèt expositus reprehensioni S. Congregationi, si id intendebant.

39 Dices misisse epistolam qua continebatur, quòd desisteret à munere Vic. Generalis. Sed contra epistolam accepit ante discessum à Regali Curia, qua sentiebat patentales illas litteras non contineri in decreto S. Cōgregationis. Et quamuis posteà mutarit sententiam & scripserit (quod non constat) quòd nō vteretur officio Vicarij Generalis: prętérquam quod, vt dicebamus, non dependet ab ipso, sed à R. P. Gener. illæ non sufficerēt, nisi in forma expressa patentis de assensu Collegarū id fieret: *Etenim specialis & certa facultas indiget speciali expresse, & certa derogatione, aut inducta per legitimam probationem,* habetur de iure. Nul-

la

la reuocatio habetur expressa: & litteræ Congregationis id certo non significant, nā iam videmus magno cū fundamento opinari contrarium, ergo manet authoritas Vic. Generalis in viridi obseruantia.

Secundum Corolarium.

Nemo præter P. Petrosam potest, sine crimine executioni mādare, quæ in litteris S. Congregationis ordinantur.

40 EX tenore litterarum S. Congregationis, maximè §. 9. constat soli P. Petrosæ hoc fuisse cōmissum, neque aliquis alius frater, etiam si sit Prouincialis poterit exequi prætextu Ordinarij: primò, quia quādo Ordinarius hoc fuit, est, quia executor facit in mora, quod dici non potest, nam à die 3. Iulij, vsque ad 17. ex quo litteræ sunt intimatæ, conclusit negotium & abijt. Et si ordinarius id facere vellet, deberet prius illum requirere, vt executioni inseruiret; & post tres intimationes, & introducta iā mora, id deberet facere. Secūdo, etiam si esset in mora visitator ex natura rei implicaret ab alio exequi, quia cum dependeret à cognitione causarū mutationis, priuationis, incarcerationis, &c. Quod nulli nisi Visitatori (qui formauit processus) cōstare potest: & sic quilibet alius ineptus esset tali muneri obeundo, & exponeretur periculo iniustitię, &c. facit fu

41 Vndè, si Prouincialis reduceret eiectos à sua conuentualitate ad Conuentus vnde eos extraxerat Visitator: & priuatos, aut depositos ad officia exercenda, reduceret a quibus fuerūt amoti, & excarceraret alios, maximè post terminationem, quam de eis fecit visitator, & legitimè de hoc conuictus esset, nec Vicario Generali vellet obedire, multis subiaceret pœnis.

42 In primis enim Pontifices, vt diximus Leo X. & Gregor. XIII. Prouinciales, aliosquè quoscunq; qui se quoquo modo opposuerint Visitatoribus, excōmunicant ipso facto, à qua censura, nisi in articulo mortis absolui possunt: sed Summo Pontif reseruatur, & priuationem officiorum vocisq; actiuę, & passiuę incurrunt. Deinde non obediendo Vic. Generali, cui anteà præstauerat

 obe-

obedientiam, incurreret priuationem officij ipso facto, prçter excommunicationem maiorem latæ sententiæ, quç habentur in patentalibus litteris Petrosæ cõstituentis Vic. Gener. & similes pœnas incurreret, si resisteret Vic. Generali, & ipse ei illas minaretur, & sub eis prçciperet ad obediẽtiã venire, & perseueraret cõtumax.

43 Sed quia respondere poterit hoc non esse se opponere, nec negare obedientiam, quousque declaretur; num vt iudex ordinarius pośsit exequi decretũ, vel an cessauerit virtute decreti Cõgregationis authoritas Vic. Generalis? Ideò opinando non committit delictum, benè tamen, si post sententiam declaratoriã id faceret: transeamus ad certiora, in quibus nõ opinio, sed error, aut affectãta ignorantia interuenire potest.

44 Dico ergo, quòd cum decreti executio facta fuerit à P. Petrosa authoritate, non iam sua, sed S. Cõgregationis, quæ id facere præcipiebat. Et in ea iniunxerit Prouinciali sub formali præcepto obedientiæ & excommunicationis latæ sentẽtiæ pœna, & priuationis officij, vt ne oppositum faceret suç, & S. Cõgregationis determinationi: si contrarium fecisset; incurrisset vtique has pœnas, à quibus releuari minime poterit per inferiorem authoritatẽ habentem, quã S. Congregatio, cuius pro illa actione fungebatur coerciua authoritate. Qui enim dat esse, dat & consequentia ad esse, nã cum effectu vult S. Congregatio suos exequi Ordines, ad quod debilis esset intimatio, si coerciua potestate careret. Et ideò ipse pater Petrosa, cũ S. Congregatio requirat causam legitimam mutationum super qua si adesset, poterat antea sua ordinaria potestate dispensare; at modo superiore superueniente authoritate, in executione dicet: *Nequimus aliter facere*, quia adfuit causa legitima mutationis.

45 Dico 2. si Prouincialis se intromitteret in executione decreti S. Congregationis, alterando quod P. Vicarius Generalis, & executor decreti Petrosa super hoc ordinauit: nimirum exules ab aliena Prouincia adducendo ad propriam, vnde per diffinitiuam sententiam eiecti erant: mutatos simili causa ad alios Prouinciæ Cõuentus, reducẽdo ad illos, in quibus visitator repererat de famil-

lia,

lia,excarcerando quos Visitator legitime incarcerauit,aliasque salutares pœnitentias,quibus alios emendauit,& correxit, ac demum obedientias,& gratias,ac fauores,necnon & constitutiones, quas pro meliori obseruantia reliquit visitator in Prouincia,proculdubio priuationem officij incurreret Prouincialis ipso facto,& idem quilibet alius superior,Visitatore generali,imò,& S. Cōgregatione inferior. Vt hanc conclusionem mihi certissimam probem, prodo textus & rationem. In nostro almo Correctorio,quod est pars Regulæ à nostro sanctissimo Legislatore cōditū à Capitulis Generalibus ab initio receptum,sæpissimequè à Sum. Pontificibus approbatum,& cōfirmatum cap. 10. n. 110. in Latino sermone talis grauissimus textus conspicitur: *Prætereà si aliquando (satanica procurante versutia) aliqui huius Ordinis Prælati,etiam ipsemet Corrector Generalis,ac vigiles transcenderent eiusdem Ordinis Regulæ ordinationum limites,seu terminum ipsis Prælatis inibi præfixum: etiam si forte aliquando super hoc Apostolicas litteras obtinerent: ipso facto,vniuersos eiusdem Ordinis Fratres præsentes,ac futuros,ex nunc ab eorum obedientia penitus absoluimus,& eximimus: ac illis de cætero obedire,plenaria nostra authoritate expresse inhibemus: & ad nouam electionem statim procedendum fore decernimus.*

46 Huius grauissimi textus intelligētia venanda venit ex alijs textibus Regulæ, & Correctorij,ac alijs declarationibus Apostolicis. In margine huius textus fit remissio ad alium textum Regulæ cap. 10. n. 52. pro cuius fractione hęc pœna taxata est: *Quicquam* (ait P. N. S. Franciscus de Paula) *facto, vel scripto contra hanc Regulam, & vitā impetrare, seu impetrari facere, neque ipsi Prælati, neque aliquiui Fratres quouis modo præsumant.* Et quid sit impetrari contra Regulam, explicatur in eadem paulò post num. 54. quando de officio Reuerendissimi Protectoris Cardinalis dicitur: *Quidquam (quod huius sacræ vitæ, & Regulæ puritatem eneruet, aut pœnitentiæ robur euertat) nullatenus admittat.* Et ad eundem hunc sensum quod in eodem Correctorio,cap. 10. n. 52. dicitur de non cōedendis statutis: ex declaratione Cardin. Senogalensis Apostolica authoritate suffulti clausula 7. *Hoc debet intelligi* (inquit) *si statuta contra Regulam huiusmodi in toto,vel in parte veniētia,seu*

ab huiusmodi deuiantia. Et hoc est, quod prohibet scripto, de litteris Apostolicis contra Regulam impetrandis (quas non prodesse iubet Correctorium) declarat Paulus 3. constit. 4. apud Peirinis tom. 2. Priuileg. annullanda, vt annullat aliqua Breuia impetrata contra Regulam: *In quantum* (ait §. 8.) *ipsius Regulæ candorem, & verã obseruantiam obnubilare, seu vos turbare, aut ex eorum vsu scandala oriri possent, reuocamus, &c.* Vbi notat P. Peirinis n. 2. aliqua Breuia non mansisse reuocata, quale fuit concessum ad se obligandum ad suffragia, & Missas perpetuas: & ingressus confessarij, ac phisici, tempore infirmitatis, intra septa Monasterij nostrarum Sãctimonialium; quia etiam si contra tenorem Regulæ sint, non obnubilant puritatem eius. Igitur ex his sequitur intelligentia textus Correctorij alati contra Prælatos transcendentes limites ordinationum Regulæ, seu terminum illis præfixum in functione suæ authoritatis, & potestatis: quod sint ea quæ contra Regulam impetrantur, & fiunt verbo, vel scripto, quæ puritatem eius obnubilant, & turbent pacem, ac oriantur scandala. Pręlati ergo qui transcenderint hos ordinationũ limites, & terminos potestatis sibi pręfixos, puniendi veniũt hac pœna Correctorij.

47 De Visitatoribus vidimus suprà n. 9. ex c. 10. Reg. n. 45. quod Sanctissimus P. Franciscus de Paula voluit Generales mittere ad quascunque voluerit Prouincias oculatos Visitatores, qui taliter in lucernis ardentibus Fratrum suorum iniquitates visitent, & emendent in vera iustitia, & misericordia; quod iustitia nõ diuidatur à misericordia, neque è contra. Ecce ordinationis limes, & terminus potestatis præfixus Visitatoribus Generalibus, quibus obnubilata vita, & obseruantia propter iniquitates Fratrũ, per earundem emendam, & correctionem lustretur, & resplendeat obseruantia Regularis.

Rursus, in nostro Correctorio cap. 8. n. 64. dicitur: *Ipsi locales Correctores (in quantum sibi à suis prædictis superioribus Prælatis, & eorum vices gerentibus permissum fuerit, suum ordinarium officium exercent.* Et paulò post addit: *Quòd verò prædictum est de Correctoribus localibus, in præsentia Prouincialium, & suorum vices gerentium, ac eis superiorum, hoc idem etiam intelligendum est de singulis vigilibus, & Prouincialibus in præsentia dicti Generalis.*

lis. Et ita respectiuè de talium vices gerentibus suo modo intelligendum est. Ordinarium ergo officium non potest exercere Prouincialis, nisi quatenus permittatur ei à Generali, vel eius vices gerētibus, quales sunt Visitatores, & Vic. General. his debent obedire, ab eis benedictionē accipere, acta & iussiones superiorū nō alterare: nā par non agit in impar; secus facientes turbarent Religionē, & præcipiētes contraria darent ansam scādalis, & scismatibus ac rebellionibus.

48 Igitur si Prouincialis Hispalensis correctos, & emmendatos, officioquè priuatos reduceret, ac exules, & in alijs Conuentibus assignatos reuocaret ad pristinos, nonne ad occasiones peccandi illos inuitaret? Nonne in multis eorum orirentur scandala? Nonne trāscenderet limites ordinationum regulæ, & terminum imperandi illi præfixum? Nonne vsurparet alienam iurisdictionem mille iuribus puniendus? Si hoc faceret vtendo suo officio ordinario, iam vteretur illo contra ordinem superiorum suorum Vicariorum Generalium, ac Commissarij S. Congregationis, & non obedit suo maiori: Si virtute decreti Congregationis id faciat, cum commissum sit P. Visitatori, ac Vic. Generali Petrosæ; iam sibi vsurpat authoritatem Apostolicam. Imò etiam si ipse has impetrasset litteras, vel ab alio impetratis committerentur ei, non posset eis vti ad reducendos exules, mutatos, depositos, aut priuatos, quia esset contra Regulam, quas litteras, & etiam breuia impetranda contra candorem obseruantiæ, Paulus III. vt vidimus, reuocauit. Ergo propter hoc, vt ex Correctorio vidimus n. 45. ipso facto maneret priuatus officio, nā dicit: *Etiā si forte aliquando super hoc Apostolicas litteras obtineret.* De huiusmodi transgressione, vt pœna Correctorij puniretur (si faceret) non potest haberi ignorantia excusans, nam quia Prouincialis, imò quia Frater Minimus tenetur has ordinationes scire, quę crebro in refectorio, & Capitulis localibus leguntur.

49 Eadem ratione mutando Fratres à conuentualitate asignata à P. Visitatore, maxime intra trimense à Constitutionibus Apostolicis, & Regularibus ante electiones Correctorum mense Septembri vetr transcenderet limites ordinationū, & potestatem sui officij, necnon, & officiales à Visitatore asignatos, auferēdo, dignus esset supplicio. Ac denique Vic. Generali, prius ab ipso admisso, falso, aut debili fun-

da-

damento harum litterarum S. Congregationis se opponendo, in illumque insurgendo præceptis, & censuris, nonne scandala suscitaret? Nonne scismata seminaret? Nonne Prouinciam perturbaret, maximè, quia lis foret propter prohibitionem sibi factam, ne visitationis actibus se opponeret? Maximè in statutis relictis pro maiori obseruantia.

Tertium Corolarium.

Quos non obliget §. 5 reducere ad officia.

50 CVM ibi ordinetur Visitatori reducere ad officia, quorum facultates, suspenderit, reuocauerit, aut limitauerit, & loquatur tantum de superioribus, sequitur quos non teneatur Collegas, Diffinitores, Lectores, Scribas, Seniores, Sacristas, Procuratores, Dispensatores, Monialium, Confessarios, & alios id generis, quia hi omnes superiores non sunt, nec Prælati.

Hæc dixerim pro meo captu, & quidem recta, ac sana intentione pro veritate tuenda: & vt forsam dirigantur, qui defectu inspectionis, & considerationis litterarum S. Congregationis Cardinalium deuij, periclitantur iri sub correctione melius sentientium. Matriti in almo S. Mariæ de Victoria Conuentu 19. Nouembris 1640. annis.